



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Liber dissencionum archiepiscopi Coloniensis et Capituli Paderbornensis**

**Dietrich <von Engelsheim>**

**Münster, [1893-1897]**

81. De hiis, qui cum Imperatore et Legato principes fuerant, et ibidem per Imperatorem cum infeodacione et militie traditione factis ac de Grecorum ibidem adventu et eorum ritu in celebrando servato.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54427](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54427)

presentibus ibidem discretis viris dominis Johanne Pelmeken in Lipspringe et Manegolde Bernemans in Ostlangen plebanis, testibus ad premissa vocatis et rogatis.

Et ego Raveno de Ripen, clericus Padeburnensis et publicus imperiali auctoritate notarius, . . . hoc presens publicum instrumentum . . . confeci. . . .

81. Anno Domini MCCCCXXXIII de mense Februarii domini de capitulo Paderbornensis ecclesie miserunt ad concilium Basiliense propter vocationem serenissimi principis domini Sigismundi, regis Romanorum, Ungarie et Bohemie, totiusque christianitatis imperatoris necnon reverendissimi domini, Conradi, archiepiscopi Moguntini, ut supra sub numero 63 et 64 continetur, venerabilem virum dominum magistrum Hermannum de Rekelinhusen, cui presens causa permaxime erat nota ex eo, quod eandem in curia Romana usque ad advocationem ut conprocurator promovit et eorum concanonicus fuit, qui eandem tunc in concilio Basiliensi, ubi advocatus fuerat, promovit et sollicitavit, prout infra deducetur. Eodem tempore in septimana Pasce egregius dominus Henricus de Haxthusen, utriusque iuris doctor, decanus ecclesie Paderbornensis per illustrissimum principem dominum Adolfum, ducem Julie Montensis et comitem Ravensbergensem in causa sua ducatus Gelrie ad idem concilium missus erat cum solempni comicia. Ubi pro tunc predictus illustrissimus dominus imperator personaliter erat constitutus, pro tunc a Roma reversus et ibidem a domino nostro papa coronatus erat ect. Ibi reverendissimi patres, domini Julianus, cardinalis sancti Angeli, apostolice sedis legatus, cardinalis sancte crucis, cardinalis sancti Eusthagii, cardinalis de Cipro, cardinalis sancti Petri, et Branda cardinalis, patriarcha Anthiocenus

et patriarcha Acquileiensis et illustres duces Austrie, Bavarie et Barensis, marchiones Brandenburgensis, Badensis et Rotlingensis cum multis aliis principibus tam Germanice quam Italice nationis, ymmo duces Turcarum et Grecorum: sic quod in die ascensionis tunc temporis ibidem quinquaginta quinque paria episcoporum in processione apparuerunt et incedebant infulati cum aliis vix numerandis. Ubi tunc cantatores concilii per totam missam modo organorum in tonorum consonantia et melodia ita ut vox angelica, insonuerunt<sup>1)</sup> |omni dissonantia et discrepantia semota, Deo taliter promittentes.<sup>2)</sup> Tunc temporis dictus serenissimus dominus Sigismundus, imperator in emunitate ecclesie Basileensis spaciosa et ampla erigi ordinavit sedem excelsam bene X cubitorum, ubi se posuit veste diaconali induta, corona regia superimposita, sceptro in manu tento<sup>3)</sup> et alias, ut imperatoribus moris est, dispositus, a dextra principes ecclesiasticos et a sinistra seculares habens constitutos. Ubi pro tunc illustris princeps dux Barensis bene cum quingentis equis imperatorem accessit cum vexillo suo ante ipsum delato, ubi omnes sui secum accedentes parva vexilla suis armis insignitis in manibus ad dictum locum apportarunt. Tunc imperator ducem predictum cum solempnitate debita de regni principatu ducatu et bonis et vexillo proprio coram omni multitudine infeodavit per vexilli et sceptri traditionem recepto primo ab eodem iuramento fidelitatis principibus consueto. Quo facto, quod mirum est, idem imperator milites creavit, unum nobilem Turcum, unum Switonem et unum appotecarium civitatis Basileensis. Et cum dictus apothecarius in civitate Basiliensi vellet ascribi et nobilibus ibi sociari, spretus erat eo, quod de nobili progenie non erat pro-

<sup>1)</sup> Der Text lautet insonuit. <sup>2)</sup> loben, preisen. <sup>3)</sup> Der Text hat tenente.

creatus. Sic, cum per imperatorem erat nobilitatus, plebei ipsum a se refutarunt sic, quod taliter ab omni consorcio Basiliencium penitus erat exclusus. Confusus tamen de habundantia bonorum castrum quoddam ibidem sub certa pecuniarum summa recepit, filiam suam magna pecuniarum summa nobili cuidam desponsando, ut per talem tueretur ex adversis. Quod demum acciderit et accidere possit, cognitor noscit universi. Tunc temporis Greci ibidem supervenerunt, ut ad conformem fidei unitatem ratione processus Spiritus sancti et alias reducerentur. Qui tunc ibidem in propriis hospiciis officium divinum celebrarunt, ubi sacerdos rotunda casula sive amictu sine stolis altare bipartitum accessit et tres panes azimos quantatis pugilli, unum benedictum, alium sanctificatum et tertium sacramentandum apposuit; quorum primum dividebat inter astantes, secundum diacono tribuit et tertium sacramentaliter sumpsit, ubi pro tunc tribus [vicibus]<sup>1)</sup> ebraica voce, sono et tono, ut placuit, cantavit.

82. Johannes in Christo Deo fidelis imperator et moderator Remeorum, paleologus et semper augustus reverendissimis in Christo patribus, illustribus principibus Romani imperii electoribus salutem. Ob sinceram karitatem et amicitiam et propter bonum commune ac universalem christianorum usum est nobis, nostris hiis literis vestras amicitias de adventu nostro ad partes Italie reddere certiores. Quapropter vobis notificamus, quod Deo omnipotente favente feliciter et prospere Venetias applicuimus die octava presentis Februarii mense una cum sanctissimo domino patriarcha Constantinopolitano ceterisque reverendissimis archiepiscopis, episcopis et aliis patribus orien-

<sup>1)</sup> ergänzt.